

Cicero lib. III de

Oratore.

Ut Latine loquamur, videndum est
quo & verba efferamus ea quae nemo
iure reprehendat, et ea, sic et casibus,
et temporibus, et genere, et numero
conseruemus, ut ne quid perturbatum
se discrepans aut praeposterum sit.

Dicto audientem esse alicui, formula bona
quibus Cicero, Nepos Caesar cum vel sine dicitur
personae usi sunt. S. g. Caes. lib. II. b. G. c. XX
Nep. d. l. II. vocabulum dicto temper a desse
debet, quod videndum est apud Nepos in elipe
Agrippae cap. II. ubi nepos vocem dicto onat.
tem potuit et, vsus quippe aequipolenti
vocabulo ipse est. Verum cum tenet in uerbo
sonae dicto audientem esse alicuius non
legitur, etiam si nona ullae Cornelii editio.
res. (scd. d. repugn.) habeant dicto audien-
tem requir. Immo vox dicto etiam in
plurali non est dicenda, etiam si de
multis sit sermo. e. g. Nepos l. y. cap. I.
dicto adentes imperatoribus, ubi
ad dativum pluralem personarum po-
tuitur tamen singulariter dicto. videtur
etiam in oratione restit:

397.

y 4

Diese Map. 100

M. s. 238

100 Me

Langst = 100 Me

Handwritten text, possibly a signature or date, located in the lower center of the page. The text is faint and difficult to decipher, but appears to include the word "Am" followed by some illegible characters.



CHRISTOPHORI
CELLARII
DISCVSSIO
APPENDICIS
DANICAE

ad

Curas suas Posteriores,

nuper nouo titulo

Obseruationum singu-
larium circa Latinam lin-
guam prænotatæ;

iterum auctior edita.



J E N A E

Sumtu BIELCKIANO

CIO 13CC.

CHRISTOPHORI
CELLARII
D. B. C. S. S. V. O.
APPENDICIS
DANICAE

Coras suas I. offitios

super nova tracta

Observationum Ingu-

larum circa I. animam in-

quis perituras

scripturae editor edita



J. F. N. M. B.
S. M. H. E. L. C. K. I. A. N. O.

1713



VIRO CLARISSIMO
I A C O B O
FERIZONIO,

IN LVGDVNENSI
BATAVORVM ACADEMIA
HISTORIARVM, ELOQVEN-
TIAE AC GRAECAE LIN-
GVAE PROFESSORI ORDI-
NARIO ET DE LITTERARIA
RE PRAECLARE ME-
RENTI

CHRISTOPHORVS CELLARIVS

S. P.



I quid gratulationes possunt, illas puto fructuosissimas esse, quæ non tantum a beneuolis, sed iis etiam proficiuntur, qui exemplo suo, quantum boni adprecentur aliis, intelligunt. Gratularis academix nostræ, & mihi quoque, humanitatis litteras in illa perdocenti, congratularis. Vtrumque per mihi gratum & iucundum est, & alterum publico nomine

mine quidem, quod pro
 communi utilitate nostra
 votum facis: alterum vero
 propter priuatas amicitiae
 nostrae rationes. Crede
 mihi, vir clarissime, quo-
 ties rem litterariam apud
 animum perpendo, & de
 futuris etiam temporibus
 cogito; in mentem venit
 gratulari vobis, apud quos
 ex æquo illa studia æsti-
 mantur, quæ omnium ce-
 terorum & vniuersæ soli-
 dioris doctrinae præsidia
 & munimenta sunt. Pu-
 tant permulti, infra suam
 dignitatem esse, humanio-
 ribus litteris operam dare,
 & nescio quos montes ex



aliis disciplinis, quas superiores vocant, congesisse sibi videntur, qui vero arenarum cumuli sunt, & quod fundamentum non habent, facile subsidunt, corruunt, aut vento impellente disiiciuntur. Hi quamuis aliquo nomine apud suos sunt, fama tamen intra patriam stat, nec ad illas nationes potest prouehi, quæ, quod æquum est, de litteris iudicant, & in vulgari censu relinquunt omnes, qui illis doctrinis vel non imbuti sunt, vel leuiter tantummodo adspersi, quæ ad humanitatem ducunt, & ve-

ros sapientiæ fontes aper-
riunt. Est itaque, quod
vobis & vestris, Belgæ,
academiis omnes boni
gratulentur, quod tantus
apud vos proventus litte-
rarum est, vt exteræ etiam
gentes, si ad veram erudi-
tionem adspirant, inde
exemplum sibi & suæ rei
litterariæ petant. Lætor
MAGNUM PRINCIPEM,
academiæ nostræ condito-
rem, & SUMMOS VIROS,
arcanorum EIVS partici-
pes, hanc mentem senten-
tiamque ingressos esse, vt
ad vestrarum imaginem
nostras Musas ornari cu-
pian, hoc est, ad vestrum
exem-

exemplum, in illustri mo-
 nimento positum, nostram
 quoque iuventutem insti-
 tui, vt in iis disciplinis præ-
 paretur, quæ ornamentum
 nobilitatis sunt, & ad rem
 publicam pulcherrimos
 fructus per omnem æta-
 tem adferunt. Deo propi-
 tius sit Musis vestris, &
 muneribus suis, quæ in il-
 las contulit, incrementum
 addat & perennitatem.
 Quod vero ex Franque-
 rana eodem fere tempore,
 quo ego ex pristina sede in
 Halensem, TV in illustrem
 Lugdunensem translatus
 es, vt antea precabar TIBI,
 & TV vicissim mihi; non
 defino

desino assiduus precari, vt
mutatio ista tua bene feli-
citerque eueniat, & littera-
rum liberalium studiis, &
tuis etiam rebus, salubris
& frugifera semper sit.
Non campum modo,
quem colas ingenio, sed
messem vberrimam in-
gressus es, vnde colligere
quotidie licet, quæ in vsum
rei litterariæ sunt, & in tuo-
rum, quos formas, præci-
puum ornamentum. For-
tunet Deus labores tuos,
vt fructus quoque illorum
ad nos idem tadem feran-
tur, quemadmodum vllis
illorum, quos vel Frane-
quera olim, vel adhuc
A 5 Lugdu.

Lugduni tuum ingenium
tulit, me carere noluiti.
Quum vero, quos medi-
tor, nondum maturi ad
partum sint; interea exi-
guum libellum, amoris in
TE mei testimonium, ca-
pe, cui ideo clarissimum
nomen tuum præscriptum
volui, quod eius ille argu-
menti est, in quo TE omnes
sciunt egregie versatum, &
similibus controuersis,
præter voluntatem subna-
tis, insigniter, nec sine glo-
ria tua, exercitum esse.
Non igitur ingratum
TIBI opusculum erit,
quamuis paruum est &
perexiguum, non ta-
men

¶ (ii) ¶

men dubitare potes, pro-
lixa me voluntate ac
amore id TIBI dedica-
re. Vale, vir celeberrime,
ac felicissime age.

E. Fridericana Halensi
Calendis Ianuariis

CIO LCC XCV.



A 6 DIS-



DISCVSSIO
 OBSERVATIONVM SIN-
 GVLARIVM CIRCA LA-
 TINAM LINGVAM,
 ANTEA TITVLO
 APPENDICIS AD CVRAS
 POSTERIORES CHRISTO-
 PHORI CELLARII
 EDITARVM.



Ndeuiginti anni
 sunt, quum libel-
 lum in lucem emi-
 si, quem iuuenis
 olim meorum pri-
 uato vsui ex Vossii
 potissimum de Vitiis sermonis tra-
 ctatu composueram. Sub idem tem-
 pus *Olai Borrichii*, eminente inge-
 nio

nio viri, in laudatum Vossii librum
Cogitationes in Dania prodierunt,
 quibus visis perlectisque demira-
 tus fui, saepe Gerardum Ioannem
 Vossium (at quam vastæ doctrinæ
 virum!) in censu Latinitatis agen-
 do non, quod res est, præcipiti cu-
 ra iudicasse, tot innocentibus præ-
 ter meritum loco motis, aut ciuita-
 tis iure, quod antiquitus habue-
 rant, indigne spoliatis. Eædem
Cogitationes incitamento mihi
 fuere, vt plurimos Latinitatis au-
 ctiores, a Ciceronis ætate ad illa
 vsque tempora, quibus barbaræ
 gentes Italiam & prouincias, &
 vna Latinam linguam, quæ am-
 plissimi vsus fuerat, in suæ indolis
 formam deturparunt; quantum
 per officii rationes licebat, cursim
 & properanter retractarem. Multa
 sane animaduerti tum Lexicorum
 conditoribus, tum censoribus Lati-
 nitatis ignorata fuisse, quibus non
 minus, quam Borrichii, & aliorum
 obseruationibus instructus CVRAS

POSTE-

POSTERIORES abhinc quindecim annos consignavi & publici usus editione feci, in quibus tum alios viros, per quos profeceram, tum Olaum etiam Borrichium honoris causa semper nominavi, nec parca illos laude prosequutus fui. Erant tamen nonnulla, in quibus a Borrichio dissentiebam, quæ libere, ut ingenuarum artium cultorem decet, non proposui modo, sed argumentis etiam, ut puto, non contemnendis confirmaui. Librum meum in Daniam perlatum publicis lectionibus Borrichius, tum regiae Academiae RECTOR, ponderandum adsumsit, uti ex programme vidi, quo suos & collegarum labores, ut moris est academiis, anno MDCC LXXXI præsignificavit. Altero anno vel eadem, quæ prælegerat, vel auctiora etiam edidit, quibus *Analectorum ad cogitationes de lingua Latina* nomen præscripsit. Nihil non honoris mihi in illo libro detulit, & pro genio suo

fuo fatis modeste cuncta exami-
 nauit, quamuis vix semel aut ite-
 rum cesserit, meliora a me admoni-
 tus: ne forsan errasse videretur, qui
 tanta auctoritate non solum inter
 suos, sed in exteris etiam regionibus
 erat. Interea quod in odium
 concitare alios posset, amicitiam
 inter nos, etiam mutuis litteris de-
 inceps cultam, conciliauit: nec
 agre illius dissensionem ferebam, &
 in priori opinione tenaciorem ali-
 quando perseverantiam. Quum
 vero distracta Curarum exempla-
 ria essent, & de noua editione bi-
 bliopola admoneret; non potui,
 quin de iis etiam differerem, quæ
 Analectis Borrichianis contra me
 disputata fuerant. Desii dubita-
 re, si quæ certiora attulerat pro-
 baueratque exemplis illustrioribus:
 ubi priori sententiæ insistebat, mihi
 quoque meam tueri necessum erat,
 & firmiter argumentis corrobora-
 rare. Sic iterum prodierunt anno
 LXXXVI Curæ meæ Posteriores,
 sed

sed auctæ multis in locis, nonnul-
 lis etiam emendatæ, ad quas non
 Olaus Borrichius, sed iunior aliquis
Andreas eiusdem cognominis, vt
 dedicatione expressum est, sequen-
 ti anno LXXXVII animaduersiones
 edidit, quibus hanc inscriptionem
 fecit; *Appendix ad Curas Pos-
 teriores recognitas viri clarissimi Cbri-
 stophori Cellarii, Hafnia. Præfatione*
 suam operam in alieno negotio sic
 instituit excusare: *De toto hoc in-
 stituto plenius haud dubie celeberrimus
 Borrichius disseruisset ipse, si vel
 per graviora negotia licuisset in haren-
 nam hanc ulterius descendere, vel li-
 buisset amicitiam, qua clariss. Cellario
 obstrictus est, vlllo modo fatigare. Gra-
 tum mihi, quod de clarissimi O L A I
 mecum instituta amicitia fatetur:
 nec molesta, quam ipse operam,
 contra curas meas infumfit. Non
 enim ita delicatulus sum, vt ferre
 non possim, si quis lituram in mea
 faciat, aut perdoceat meliora, præ-
 fertim in ea caussa & materia, quæ
 non*

non vnus hominis industria est, videlicet vniuersam Latinitatem perlustrare, & ad minimos etiam apices respicere, cum aliis libris eodem conferre, & vbi dissonantia est, ad antiquiores refugere, & quæ commodissima lectio sit, exinde diiudicare. Velim quamplurima doctissimus auctor attulisset, quæ dubiam Latinitatem confirmarent, quum nemini lubentius debeam, quam qui vocabuli formam, ignoratam antea, aut significationem, mihi demonstrauerit. Verum perlecto libello isto, nihil sane inueni, quod me ab sententia priori dimoueret, quum litteratissimus auctor duo sibi proposuisse ex perlecto opusculo constet, aut mea, quæ defenderam, nouis exemplis confirmare, quasi numero certandum sit, non pondere argumentorum, quod minime mihi ingratum est, quamuis sit superfluum: aut quadam ex maioris Borrichii Analectis pertinacius tueri, quamlibet altera Curarum

rarum editione ostenderam, non leuisissimis fulcris, aut pœnitenda auctoritate stare quæ in contrariam partem a me adlata fuerant; quædam etiam illius ab instituto nostro longius declinare. Non itaque opus erat, ut quidquam Appendici illi reponerem, quæ partim meam confirmabat, partim nihil noui adfererebat, sed quæ Curis posterioribus meis satis exposita atque declarata fuerant. Contentus iudicio eram, quod viri clarissimi, qui Eruditorum Acta colligunt Lipsiæ, anno MDCLXXXVII, & doctissimus auctor Colloquutionum menstruarum, quæ ibidem produnt, anno MDCCXII, de ista Appendice fecerant, quo satis pro me etiam responsum videbatur. Accessit alia ratio, ut tacere mallet, quam quidquam censori meo regerere, quod alienus semper fui a scribendi genere, quod contentiones alit, nec spem conciliationis per obstinatam partis opinionem habet,

bet, præfertim si quid ille admiscuit acerbi, quemadmodum Appendicem illam cum laude mea & aculeos habere, legenti non potest obscurum esse, quos tamen auctoris iuventuti condono, infra, vbi singula excutienda sunt, perbreuiter, & sine acerbitate, quam iniqui & alieni a loco sint, omnibus monstraturus. Sic constitutum mihi erat, silentio Appendicem prætermittere, in qua sententia etiam perstaturus fuisset, nisi proximo nundinis libellus prodierit ita inscriptus: *A.B. (lege Andreæ Borrichii) Observationes singulares circa Latinam Linguam ex classicis & aliis probatissimis auctoribus collectæ, & ad uberiorem indaginem propositæ. Francofurti anno 1694.* Putasses recentissimum libellum esse, quo nouum aliquid & inauditum contra me adferatur, quia nomen meum per singulas fere pagellas expressum conspicitur. Quem quum euoluere a bibliopola mihi transmissum, illi-

illico deprehendi, non nouum li-
brum, sed veterem illam Appendi-
cem esse, nouo operculo vestitam,
nouo laudatam titulo, vt Sardis
venalibus solet. Scilicet qui ven-
diderat bibliopola, quum paucio-
res emtores, quam sperauerat, in-
uenisset, ne sumtus, quem fecerat,
periret, arte quadam, sed ab hone-
stis & liberalibus aliena, sibi consul-
turus, abscissa veteri dedicatione &
censura academica, quæ ætatem ad-
scriptam habebat, titulo, vt dixi,
immutato, præfationem veterem,
alio typo, vt noua appareret, recu-
di curauit, quo emtores nouitatis
studiosi, falso hoc prætextu illecti,
cupidius & inconsideratius, quod
neglexerant antea, non tam in-
usum suum, quam in lucrum ven-
ditoris emtitarent. Credo etiam
permultos deceptos fuisse, quibus
controuersia illa, me inter & Olauum
agitata, notissima non fuerunt. Vt
ergo luculentius appareat, nihil
noui contra me incrustato hoc li-
bro

bro tentatum esse, & quæ olim tenta-
 tata fuerant, non tanti esse, vt sen-
 tentiam meam, quam de Latinitate
 habui, expugnent, vel aboleant ;
 cum pace auctoris, quisquis ille, de
 quo diuersa mihi narrantur, bre-
 uissime exponam, quæ hoc libello
 seu Appendice continentur. Ita
 autem operam diuisam volo, vt
 quæ sparsa auctor & confusa,
 tradidit, in duos ordines dispo-
 nam, quorum primo ea reci-
 tentur, quæ ad iuuandam sen-
 tentiam meam superaddidit: al-
 tero quæ aduersum Curas meas
 iteratas produxit, vt patroni sui
 Analecta tueretur.

CLAS.

CLASSIS
PRIOR
APPROBATORVM

AB

ANDREA BORRICHIO.

RORVLENTVS. Hanc
vocem Borrichius maior in
barbaris scripserat: vindicaui au-
toritate Columellæ, Plinii, Solini:
iunior, ne mea restitutio solius sit,
aut a me aliquid accepisse fateatur,
*idem, ait, auditores suos ante aliquot
annos ex Plinio docuit celeberrimus
Borrichius.* Credam de viro indu-
strio & multæ lectionis, etsi paul-
lo ante in Analectis nihil eius pro-
diderat. intra quinquennium ergo
istos *aliquot annos* stetisse oportet.

ABOMINOR. Duobus exem-
plis ex Analectis vsus fueram: ce-
tera mea sunt. Addit Andr. Bor-
richius non sine aculeo: *Forte in*

Ann.

Analectis adducta inter illa recenseri
 voluit vir clarissimus, qua sibi in me-
 moriam a celeberrimo Borrichio re-
 pressa dicit, postquam exciderant. Sciat
 autem doctissimus Andreas, sicubi
 ita loquutus fui, a patrono vel gen-
 tili suo didicisse, quem quum im-
 merito *Sustentaculum*, reiecisse ex
 Tacito admonerem, respondit
 Analect. pag. 21, *Profiteor Cl. virum*
memoria mea iterum impresfisse vo-
cabulum Taciti SVSTENTACV-
LVM. Hunc ergo suum irrideat,
 si turpe est memoriam hominis ab
 alio aliquando suscitari.

AEQVOR pro *mari*, in poeti-
 cis scripseram: superaddit Andr.
 Borrichius, poetis praeterea *campi*
 quoque *planitiem* sonare, quod
 equidem nunquam ego negaue-
 ram: neque vero opus erat alie-
 num a proposito adferri, cuius sum-
 ma fuit ostendere, in prosa *aequor*
 pro *mari* intolerabilius esse, quam-
 vis Pomponius Mela ita vsus
 fuerit.

CON-

CONVERSATIO. Confir-
mat sententiam meam Senecæ &
Taciti exemplis pluribus: mihi
suffecerat, Tacitum & Senecam
ex aliis locis patronos aduocasse.

CAVSSA auferendi casu, pro
wigen/ non tantum postponi, sed
etiam casui suo præponi posse, ex
Liuiio probaueram: Andr. Borri-
chius addit Ennium ex Seruio &
Nonio Marcello.

COMPOSITIO. Notionem
medicinalem, quam ex Cicerone,
Celfo, & Seneca ostentaueram, au-
get vno Columellæ exemplo.

CORPORALIS & INCOR-
PORALIS. Nostris ex Seneca
exemplis adduntur alia ex eo-
dem.

DEFECTVS. Ex aurea ata-
te contra Scioppium probaueram
hoc adiectiuum siue participium:
adiungit Andr. Borrichius docu-
menta ætatis argentæ.

EST pro *Licet*. Totus noster
est doctissimus auctor Appendicis.
Vnum

Vnum Plinii, nec sibi tamen admodum gratum, exemplum adiecit.

HODIEQUE defenderam contra Scioppium, vsus ad id etiam exemplis quibusdam ab Olao commemoratis. Omne autem crimen, quod obiicitur, hoc meum est, quod non plura testimonia attulerim, quasi opus mihi numero fuisset & multitudine argumentorum. Sed aliud probrum: *Potuisset, inquit, vir clarissimus, quum diligentissime post celeberrimum Borrichium se bonos auctores legisse fateatur, aduocasse Liuium lib. XLII cap. XXII.* Pungit, quod aliquando & Olaus fecit, meæ præfationis primæ verba: *Scriptores veteres, quos clasficos appellamus, præsertim soluta orationis; etiam sequiores, tamen alicuius nominis, inde a seculo Theodesii & Honorii ad Ciceronis tempora regressus, QUANTVM LICVIT PER OFFICIARATIONES, legendo percucurri fere singulos.* Quid opus erat hac repetitione.

B

titio.

titione, quæ quo animo profecta
 sit, nemini ignotum esse potest?
 Contentus paucis in re clara eram.
 Si vero etiam subterfugisset exem-
 plum meos oculos, id passus essem,
 quod solent homines, a qua lege
 nec Danos exemptos esse, in *Rorulen-
 tus & Sustentaculum* antea demon-
 stravi.

IN PRAESENTIA. Is quæ
 ex Cicerone, Cæsare, Liuiio, Plinio
 attuleram, addit quædam ex eis-
 dem Cæsare atque Liuiio, etiam ex
 Varrone, numeri augendi & robo-
 ris sententiæ meæ confirmandi
 causa.

IN TANTVM, VT. Meis
 ex Columella, Seneca, Plinio testi-
 moniis, plura eiusdem Plinii adii-
 ciuntur, non quod opus sint, sed ne
 nihil adiecisse videatur.

IMPATIENTER. Eadem
 liberalitate tribus meis per Gradus
 variatis, vnum exemplum Taciti
 superadditur.

MAGNIFICO, PURIFI-
 CO

CO pluribus ex Plinio documen-
tis illustrantur, quum pauciora
mihi ex eodem Plinio atque Tran-
quillo satis fuerant, quia non de
his, sed de *Glorifico*, ecclesiae verbo,
institutum erat agere.

NYTRICIUS. Huius sub-
stantiuam notionem ex Cæsare &
veteri inscriptione stabiliueram,
quæ sola dubitata fuerat: certio-
rem adiectiuam obiter ex Columel-
la & Arnobio monstrabam, quibus
Varronem litterator eruditissimus
subiecit.

NOVISSIMVS, NOVIS-
SIME. Ciceronem, Cæsarem,
Cassium, Catullum, Virgilium pro
adiectiuo: & pro aduerbio eundem
Cassium & Plancum ad Ciceronem,
Sallustium, Hirtium, Val. Antiatem
aduocaueram, qui satis mihi esse
poterant; non autem Borrichio, ni-
si pro illo Varronem & Liuium: pro
hoc eundem Varronem addidisset.
Nec addit modo, quod licitum cui-
libet est, nec mihi ingratum, sed ite-
rum

rum me non latenter ferit. *Sinat,*
 inquit, *sibi in memoriam reprimi*
Varronis illud &c. sed supra in
Abominor dixi, non tam me, quam
 illum, quem eius formulæ aucto-
 rem habui, Olaum Borrichium, ma-
 gnum censoris nostri patronum, in-
 epta hac exprobratione agitari.
 Quicquid pro excusando illo dicet,
 mihi quoque & excusationi meæ
 dictum esse iudicet. Non gene-
 rosi animi est, rem tantillam, & il-
 la causa non inhonesta, obiectare,
 neque semel id fecisse sibi satis ha-
 bere, sed tanquam opima spolia,
 (laureolam puto in mustaco) rem
 bis vel ter repetitam ostentare, vt
 censor meus fecit pag. LXIII & CII
 & CLXXI editionis Hafniensis.
 OBLIVIONI TRADERE.
 Et heic Varronem meis succenta-
 riavit, quos ex florentissimo & se-
 quiori sæculo arcessueram: nec
 vero Varronis illud, quod superad-
 didit, lucidissimum est, aut extra
 dubitationem.

PRAE-

PRAESENTANEVS. Pluribus a me productis ex Plinio, Seneca, Suetonio, vnum quasi superpondium, ex eodem Plinio appendit.

Et hæc sunt quæ litteratissimus auctor pro sententia mea firmanda ex apparatu suo protulit, non inutilia, si pugnandum est numero, an autem semper meliora sint & per-necessaria, aliis diiudicandum relinquo, quibus instituti nostra ratio, & Borrichianæ controuersia historia non ignota est. Ad alteram partem, vbi contra nos copias suas educit, progrediendum, vt eadem breuitate ostendamus, in quibus rebus & quantis argumentis ac rationibus ille a nobis dissentiat.

CLASSIS
POSTERIOR
IMPROBATORVM

AB

ANDREA BORRICHIO.

Primum repetitur, quod con-
fectum Curis Posterioribus erat,
de Latinitatis aurea, id est optima
etate, quam Ciceronis & Augusti
temporibus definiueram: Borrichii
altius ab secundo Punico bello de-
ducunt, vt veteres poetae atque
comici comprehendantur; e qui-
bus Tullius & Virgilius multum
auri eruerint. Respondi pag. 13,
non totum aureum esse, vnde au-
rum colligitur, quod vniones etiam
ex limo & sordibus eruuntur. Nunc
addo: si vel totum etiam fuerit,
quod Ennius, Pacuuius, Lucilius
&

& æquales condiderunt; tamen negari non potest, rude id aurum fuisse, nondum perfecte expolitum ac limatum, cui supremam manum a Cicerone demum admotam fuisse, indubitatum sapientibus est. Non reiicio superiores, quos utique magni facio: Tullii tamen & æqualium nitore illos concedere, vel sensu iudice adfirmo atque statuo, & aureum æuum illud voco, quod nitidissimum politissimumque omnium fuit. Qui sic angustior in aurea ætate videbar; iisdem censoribus in argentea laxior iusto & liberalior visus sum, quod ultra Traiani tempora sub Pio demum Antonino limitem constituerim. De hoc etiam abunde actum in prolegomenis Curarum fuit. Iustinum, Gellium, Florum, bonæ notæ scriptores, sed inferiores Traiano, adserere volui, & ex æneæ ætatis censu, quem merito suo superant, in digniorem reuocare. Nec existimandum est, extincto Traia-

no omnem elegantiam vna exstinctam & intermortuam fuisse. Non habet Latinitas tam manifesta interualla, quæ tanquam punctum indice digito monstrari cupientibus possint. Sensim & pedetentim labitur, quod venustum & decorum fuit. Neque illis repugnare velim, qui Cornel. Celsum, quamlibet posteriorem Augusto Cæsare, ætatis aureæ scriptoribus, qua non indignus videtur, adiungi postulent, aut Columellam in superiorem aliquem ordinem reduci. Hæc ex prolegomenis nostris de ætatibus Latinitatis doctissimus censor reperierat: sequuntur ipsa vocabula, notiones, atque formulæ, in quarum explicatione aliquid desiderat.

ASSERO. Adfirmandi notionem aurea tempestate dubitavi usurpatam, & Roscianum illud apud Ciceronem lib. II de Orator. cap. LIX *Tibi vero assero, diuisis vocibus has sero, scilicet arbores,*
cum.

cum Iano Grutero, Antonio Mureto, & Dionysio Lambino legendum esse censui. Heic vires intendit Borrichius iunior, vt auctoritatem illorum hominum infirmet. *Non*, inquit cap. 11, *quomodo magnis illis viris placuerit legere, sed quomodo legi debeat, queritur.* Sed quomodo debet? & si debet, quod ipsi placet, quomodo probat? Ait ridiculum perire, quod ex senis imitatione intendebatur, nisi legeris *asserō*. prolixitatem enim sermonis in sene a filio facete eludi. At vnde constat in abrupto versu, quis sensus sit genuinus, quæ antecesserint, quæ fuerint subsequuta? Deinde pag. 20, (repetitæ editionis pag. 18) Lambinum alienare studet. *Nescio*, inquit, *quo factum sit, vt Cl. Cellarius scripserit, Lambinum HAS SERO legisse, quum libri Lambini omnes, quos inspicere licuit, habeant ASSERO.* Ita factum est, vir clarissime, quod ego ipsius Lambini obseruationes, vt Lutetiæ MDCCXIII prodierunt,

runt, inspexi & enotavi; tu Gothofrediano forte libro, qui in solo margine Lambini lectionem tangit, aut similibus, contentus fuisti. Ita vero Lambinus adnotatione LXXI, TIBI EGO, ANTIPHO, HAS SE-RO. Sic legendum esse iam pridem viderunt docti viri. In his M. Antonius Muretus: non ASSERO, ut est in vulgaribus codicibus. HAS autem intellige arbores, verba sunt Antiphonis filii, patris senis orationem imitantis. Sed veritus, quod res est, in membranis criticos inuenisse, quod commendant; H putat ad *assero* veterum more accessisse, ut ad *harundo*, *haruspex*, *hariolor*, *haue*. Nemo crediderit facile, quod, vir doctissime, suspicaris. Utroque modo per sepe *harundo* & *arundo*, *haruspex* & *aruspex*, atque sic alia leguntur: an vero semel etiam *hassero* pro *assero*, praeter hunc locum, qui in quaestione est, & pro argumento adferri non potest? num etiam *hadsero* dicemus, uti antiquis integra praepositio-

sitione uti plerumque placuit? neminem vel mediocriter in Latinis versatum id credo admissurum esse. Quum igitur parum spei in Rosciano praesidio sit, noua noster auxilia circumspexit, & in Caesare atque Varrone etiam se inuenisse gaudet. Ille III Ciuili cap. xv de legatis ad Caesarem: *Magnum, quod afferebant, videbatur.* Ita scilicet plerisque editionibus, quae in manu his temporibus sunt, expressum est: vetustioribus omnibus [etiam recentissima cum Dionysii Vosii notis] *afferebant.* Elegantissime atque ex genio linguae. nam *adferre* nuntiorum legatorumque adeo proprium est, ut absolute quoque *allatum est*, siue *adlatum est*, sit, per homines aut legatos nuntiatum. Cicero lib. III epist. x *Quum est ad nos adlatum de temeritate eorum.* Lilius lib. IV cap. XLVI *Quae quum adlata Romam essent,* Et lib. x cap. XXI *ex Etruria adlatum erat.* Et lib. XXIV cap. XXVII *Punicam classem*

accessisse Pachynum adlatum est. Ac
lib. xxxiii cap. XLVIII Visum de-
inde Cercina cum [Hannibalem,] ad-
latum est, & aliis multis locis. Plus
spei forte in Varrone reliquum, cu-
ius verba si integra & salua sunt,
omnino aliquid adferent, quod eri-
pere dubitationem possit. Lib. iv
de Lingua Latin. n. x ait: Epicbar-
mus Ennii de mente humana dicit: Ist-
bic est de sole sumtus ignis; idem so-
lem adserit; isque totus mentis est, ut
humores frigida sunt humi, quæ ita
doctissimus Andreas Borrichius
interpretatur, Ennius idem solem ac
ignem esse asserit, id est, adfirmat.
Adfirmarem & ego, si certior de
toto loco essem. Scriptum Scali-
geri & Gothofredi editione, ùque
actus est: Scaliger Coniectaneis:
isque totus est. Idem mentis primo
casu δεχαινωσ positum existimat.
Sed quæ sequuntur verba: ut humo-
res frigida sunt humi, secundum &
vsu tritioem postulant. Prono-
men idem quoque non apertissi-
 mum,

num, virile sit an neutrum inter virile & femineum. Dubiam rem itaque in dubio & obscuro relinquo, donec maior lux Varronis loco adfulserit. Circa Traiani vero tempora obtinuisse illud, ut *adferere* esset *adfirmare*, ipsi Posterioribus Curis cap. i extremo concessimus.

CONTRARIO aduerbium. Nulla lis de vocabulo, sed de vno Ciceronis loco, de Vniuerso cap. xii, vtrum *contrarios* an *contrario* legendum sit. Istud libri habent: hoc critici volunt. Nihil definiui, sed alterius sententia patronos, qui *contrario* legunt, dixi praesidium habere in Platonis, quem Cicero vertit, Graeco aduerbio *ἐναντίας*. Opponit Andreas Borrichius: *Quis eo Ciceronem adigeret, vt verbum de verbo redderet?* Nec ego illum adigo, nec istam sententiam acriter defendo, sed vt probabilem aliorum refero. *Sin*, inquiebam, *ingenio criticorum aliquid concedendum,*
omni-

omnino videtur aduerbium prestare. Vnde vero probabit vir doctissimus, Ciceronem aduerbium illud *contrario*; noluisse, vt sonat, vertere? ita sane instituerat presse vertendo, quæ antecedunt verba: Deinde voluptate & molestia mixtum amorem &c. quæ vt clarius eluceant, Græca cum Latinis composita pag. 59 & 60 exhibui, quæ inspicere possunt, & quid probabilius sit, inde libere iudicari. Pergit censor: Si velis, vir clarissime, corruptum omnino esse illum Ciceronis locum, vnde confeceris **CONTRARIO**, non **CONTRARIE** legendum esse ex mente Lambini, quem accuratissimos inter criticos numeras? Non volo: nec vero nego corruptionem valde probabilem esse, qua concessa, propius est ex *contrarios* facere *contrario*, quam *contrarie*. Ad illud autem de Lambino diæterium, quo ego quoque & heic & pag. 101 proscindor, paucissimis verbis respondeo, non de-ridendum Lambinum esse, qui multa

ra non pœnitenda scripsit, etsi non ignorem, quid nonnulli de illo, eiusque veterum scriptorum tentatis emendationibus sentiant. Neque ego illum tam *accuratissimum* laudavi, quam pag. 104 Curar. Posterior. accuratissimis Grutero & Mureto subiunxi, ex quorum societate participat, si maiore forsan, quam pro merito, ut Andreæ Borrichio videtur, ornatus laude fuit. Est etiam ubi eundem ab accuratissimis distinxit. pag. 57 Curar. Posterior. in verbo *Consiliari*.

FERIARI. Me non intelligit, qui heic contra me multis verbis depugnat. Nunquam dubitavi, *Feriatus* siue participium, siue nomen est, oppido antiquum esse: quin potius Ciceronis, Trebonii, Horatii testimoniis ipsemet stabiliueram. In ceteris formis *Ferior*, *Feriabar*, *Feriabor*, *Feriarer*, *Feriaris*, antiquiora testimonia requisivi. Non autem Andreas Borrichius aliud ex Varrone & Ciceronis fragmen

fragmento adfert, quam *feriatus*,
rem a quaestione nostra, prorsus
alienam. De Statii supino *ite fe-*
riatum, lib. 1 filu. vi principio,
ipsemet dubitat, quia meliores li-
bri omnes *feriata*, non *feriatum*,
habent. Alienus est, quum de
Catulli ætate mihi obiicit, de qua
nunquam fui incertus. Dicere
forsan de Peruigilio Veneris voluit,
an Catulli auctoris sit, & an eius
ætatem exæquet: quod, dubitante
Salmasio, in medio reliqui, penitus
non negavi. Et si illud etiam car-
men Catulli esse, nihil inde proba-
tum foret, quam *feriatus* antiquum
esse, quod Ciceronis Trebonii, Ho-
ratii, & æqualium suffragiis du-
dum egomet ostenderam. Perui-
gilio enim hæc tantummodo verba
sunt:

*nec tamen credi potest
Esse amorem feriatum, si sagit-*

tas vexerit.

Itæ nympha: posuit arma, fe-
riatus est amor.

HV.

HVMILIS, HVMILITAS.

Dixi Posterioribus Curis, virtutis
 notionem penes ecclesiasticos esse.
 Ne vero nihil darem, ex auro po-
 steriore Spartianum in Iuliano
 concessi, cui ille humilitatem tan-
 quam virtutem contribuit. Heic
 clamat Borrichius iunior, extre-
 mum alterum, superbiæ opposi-
 tum, non virtutem intelligi. Bene.
 Sic enim auget ille sententiam me-
 am. Non autem me temere inter-
 pretatum Spartianum esse, ex ver-
 bis illius puto luculentissimum.
Obiecta est, inquit, superbia, quum
ille etiam in imperio fuerit humilli-
mus. Quod si *humillimus* defectu
 fuit, cur imperium adfectavit, erit,
 inuasit? cur *humanissimus, benignis-*
simus, moderatissimus ibidem ab Spar-
 tiano laudatur? quæ sane virtutes
 cum humilitatis vitio non possunt
 coniunctæ esse. Lege cap ix.
 Spartiani. Nec in Tragici locis,
 qui proferuntur, satis præsidii est
 contra me. Non virtus ibi, qua-
 lis

lis ecclesiasticis significatur, sed in
 Thyeste v. 211 plebeius status: in
 Hippolyto v. 610 humilitas nomi-
 nis, sine imperio: in Octauia
 v. 494 vitium & adulatio, quando
 Roma & senatus seruiebat. Exem-
 plum Plinius præbet lib. viii epist.
 vi. De ceteris, quæ communia An-
 dreæ cum Olao sunt, abunde di-
 ctum est in Curis Posterioribus.

ILLEGITIMVS Valerio
 vindicauerat maior Borrichius,
 confisus libris recentibus, etiam
 ratione seu argumento. Libros
 prauitatis conuici ex manuscriptis
 & antique impressis: de argumen-
 to subdit nunc iunior: *Ad hoc Cel-
 larius nihil.* Immo multa, omnia,
 nec tam meis quam Oliuerii, ve-
 tusti scholiographi, & Petri Iose-
 phi Cantelii verbis, quæ relegi
 possunt, ex pagina mea 357 Addo
 exemplum perquam simile ex La-
 ctantii lib. vi cap. ix, *Populus Ro-
 manus per feciales bellum indicendo,
 & legitime iniurias inferendo, semper.*
 que

que aliena cupiendo atque rapiendo, possessionem sibi totius orbis comparavit. Mirum, quod non heic quoque illegitime iniurias inferre obtudant corruptores. Urget doctissimus Andreas Borrichius particulam QVASI, ex qua facile suspiceris, corruptos esse, quos cum suis sequutus est Cellarius. At quo non rapit obstinata & pertinax in errore opinio. Erubuit Olaus retractare quæ scripserat, (quod tamen aliquando fecit a me admonitus in *Delectabiliter*, Analect. num. x) idque famæ & auctoritatis clarissimi viri condonabatur: Andreas autem non erubescit, aperte veritati reclamare. QVASI enim sententiam meam tuetur, tanquam consueta ὀξύμωρος mitigatio, qualis est legitima intemperantia, quæ duriuscula compositio mollitione quadam, per quasi significanda, indigebat. Lege, quisquis es, Curas nostras Posteriores: aliter, scio, si candidus es, iudicabis.

IN-

INDIGITARE, & quæ in-
de sunt, INDIGITAMENTA.
Frustra Andreas Borrichius ad Sca-
ligerum prouocat pag. 50, qui
apud Festum ex Varrone obseruauit,
ea significatione INDIGITAMENTA
reperiri, quæ apud alios INDICES.
Festi, ut vulgo creditur, verba
sunt: *Indigitamenta, incantamenta, vel
indicia (quidam iudicia)* Ad quæ
Scaliger: *Explicatio hæc Paulli est,
non Festi. Quis ignorat pontificios
libros ita (indigitamenta) vocatos?*
*Glossarium: INDIGITAMENTA,
ἰσηγνὰ βιβλία.* At Borrichius
quoque pro sua opinione, *Nec ali-
ter Glossæ veteres.* Omnino aliter,
ut iam etiam Scaligeri confessione
deprehensum est, quæ verba ex
Glossis Philoxeni sunt. *Alia, In-
digitamenta, ἰσηγνὰ: & Cyrilli, In-
digito, ἠρησιπιδίομαι, πένομαι.*

INFERNVS substantiue. De
Varronis fragmento disputatio est,
scripseritne *infernus tenebrosus*, an
infernus tenebro vel *tenebrius*, uti
in



in MSS. Mercerus & Gothofredus
 inuenerunt, quos duces malui,
 quam praeue impressos libros, se-
 qui. Vide Curas nostras Postero-
 res. De plurali *inferna* Andreas
 Borrichius meam sententiam no-
 uo exemplo Senecæ auget: illud
 autem Taciti Hist. lib. v cap. v
 alienum a quæstione est, quia Ma-
 nes intelliguntur. *Eadem*, inquit,
de infernis persuasio, Aegyptiis &
 Iudæis puta. ideoque Curtius
 Pichena *infernos* quarto casu inter-
 pretatur: & Iulianus Pichon, *eadem*
fides de inferis.

SALTEM. Vsum sæculo ar-
 genteo non negavi, quamuis nec
 ille frequens aut multus est. Qua-
 propter morem sæculi nostri ta-
 xavi, quo vbique & frequentissi-
 me *saltem* pro *tantummodo* aut si-
 mili adhibetur. Lis superest de
 quo meliore, ex quo Tullius, prin-
 ceps illius, mearum partium est,
 etiam Liuius, præter vnum du-
 bium

bium locum, nec vero mihi per-
se aduersum: & sic de aliis anti-
quis omnibus censendum est. De
Virgilio responsum Curis Poste-
rioribus.

VALEDICERE coniun-
ctis syllabis. Dixi posse diuisis
legi, vt apud Ouidium *Sape
vale dicto*. Sed nihil facit tme-
sis contra me Varroniana *conſue-
quoque faciunt*, quia Ouidius,
quem produxi, sine tmesi, lo-
quutus erat.

Hæc de secundæ clasſis prio-
ri ordine, quo diſſenſum meum
a Cogitationibus Borrichianis,
iam tum in Analectis ab Olao
examinatum, denuo Andreas,
poſtquam Analectis responde-
ram, excuſſum voluit: an etiam
ſuperauerit, penes lectorem illo-
rum, quæ modo propoſuimus, iu-
diciũ liberum & æquum eſto.
Nunc progreſſum ad illa facie-
mus,

mus, quæ propria sunt Analectorum. Non egre ferat, inquit de me Andreas, ad ea nunc transiri, de quibus in Analectis celeb. Borrichii dubitare se fassus est. Sinat & CURAS suas TERTIAS pari modestia expendi simul, ut sine bile adferantur, quæ dissentire suadeant. Bilem me fateor in Borrichio non animadvertisse, nec digna res tantilla est, ut bilis moueatur: an vero etiam carpendi libidine sit expers atque vacuus, & omnia sincere ac beneuole scribat; ex iis, quæ supra notauimus, lectores liberi ab amore atque odio, iudicabunt. Heic sane, & sæpe alibi, Tertiis curis meis, ut nuncupat iteratas posteriores, seu secunda editione repetitas, acrius aliquid, quam ordinem, haud dubie designat, cuius tamen me nec piget neque pœnitet, qui paratus sum, non posteriores modo aut tertias, sed quartas etiam & quintas curas scri-

¶ (48) ¶
scribere, si quis certiora de Latinitate admonuerit. Mutare sententiam in longissimi temporis studio, quod vix vnus hominis ætas capit, vt omnes Latinorum codices euoluat, singula in iis, etiam minutissima, obseruet, variantes lectiones discernat, quod optimum ex iis, excerptat, in locum suum vnumquodque disponat: in operoso, inquam, isto studio sententiam suam aliquando, meliori reperta, immutare, nã ego adeo non autumo probrosum esse, vt laude etiam condecorandum existimem: contra male de bonis litteris mereri puto, qui errores suos, ab aliis clarissime monstratos, tenacius defendunt, & alios omnes implicare malunt, quam fateri semel, se aut suos aliquid passos esse, quod non alienum a natura humanitatis sit.

AN,

AN, AN non bis modo sed
 sapius, & vel quater repeti exem-
 plis probat vir doctissimus An-
 dreas Borrichius. Hoc vero non
 negaueram, sed sicut *An, an* bis
 positum, minus elegans est
 quam *Virum, an; num, an;* vel
ne, encliticum, *an*: ita elegan-
 tius quoque, si longior, quam
 gemina, dubitatio est, *utrum,*
num, vel encliticum *ne*, in pri-
 ma parte locari dixi, cuius rei
 exemplum, idque trium mem-
 brorum, ex Cicerone produce-
 bam, cuius pro S. Roscio cap. xli
 sunt: *Quero abs te, iine qui po-*
stulabant, indigni erant qui impe-
trarent: an iste non commouebat,
pro quo postulabant: an res ipsa
tibi iniqua videbatur? Addo Li-
uium lib. xxi cap. x ex Annonis
oratione: Vtrum hostem, an vos,
an fortunam utriusque populi igno-
mis?

CONFIDENTIA. Patronum,
 meæ sententiæ Ciceronem habeo,
 qui id vocabulum III Tuscul. cap.
 VII temporis sui *consuetudine in*
vitio poni ait, etsi laudis sit, vnde su-
 mitur, *confidendi* verbum. Frustra
 hic Plautus obiicitur, quia verbo-
 rum significationes cum tempore
 mutantur. Nec aliter postmodum
 veteres grammatici censuerunt.
 Seruius in Aeneid. I. v. 132. *Fiducia*
in bonis rebus: confidentia in malis
est.

CONFVNDI. Dixi dubia esse,
 quæ ex antiquis pro *erubescendi* no-
 tione adferantur, eaque æque, aut
 magis etiam, de alio, quam pudor-
 is adfectu, explicari posse. Ex
 quatuor Liuianis, quæ Olaus pro-
 duxerat, duo vindicanda sibi An-
 dreas sumpsit lib. xxx cap. xv de
 Masinissa: *ex prætorio in tabernacu-
 lum suum confusus concessit.* Putat
 ille

ille libidine sua & intemperantia erubuisse, atque hinc confusum vocari. Non ita est, doctissime Andrea; *confusus* abiit non propter libidinis pœnitentiam, sed propter metum & amorem, quibus turbabatur. Fidem promiserat nouæ nuptæ: ne vero retineret eam, Romanorum offensam metuebat. *Confusus* itaque, hoc est turbatus animo & nescius quid ageret, discessit. Alterum ex lib. xxxv. cap. xxxv de Alexameno est, quem, quum Nabinn tyrannum interfectorum esset, Liuius ait, *animum collegisse confusum cogitatione tantæ rei*. Hunc Andreas *cogitata cadis pudore turbatum* credit: ego metu potius, & periculo, atque incerto euentus, quod dubium & periculosum erat, præfente exercitu & satellitio, tantam rem adgredi. Seneca ab hoc loco abest longius, quia *metus*, inquit, & *mæror confundit*, non pudor. De simplici etiam vsu, non de adie-

¶ (52) ¶
Et o adfectus nomine, vnice nobis
quæstio erat.

CONSILIARI. Res peracta in
Curis posterioribus est. De edi-
tione Ciceronis Lambiniana etiam
supra in *Affero* satis dictum. Non
Gothofredianam, aut aliam Lam-
bini castigationes in margine refe-
rentem, sed ab ipso Lambino ad-
ornatam, & octo voluminibus di-
stinctam intelligo.

CORDATVS. Etiam de hoc
sufficere possunt iisdem Curis no-
stris proposita. Iterum vrgetur Se-
necæ locus de morte Claudii. *Ani-
mosi* significatum non reieci editio-
ne altera (sicut priore, sequutus
Io. Vorstium, acerrimi iudicii vi-
rum & de Latinitatis censura & a-
liis præclaris litteris egregie meri-
tum) non, inquam, reieci signifi-
catum, sed *in dubiis reliqui* pag. 373.
Velim & alia adferantur, clariora
ta-

tamen, quam hoc vnum atque du-
bium, vt de genuina notione ma-
gis nobis constare possit.

DEPRECARI, Abbitte
thun. In re conuenimus: in
Cæsaris quodam, & alio Ciceronis
exemplo dissidemus. Cæsaris est
VII de B. Gall. cap. XL *mortem de-
precari incipiunt*, id est precando de-
clinare. Ergo ad aliam notionem,
quam quæ in quæstione erat, per-
tinet. Nec Ciceronis verba IV e-
pist. VII nobis obsunt, siue cum
Lambino *pro te deprecantur*, siue,
quod in membranis est, *te deprecantur*,
legeris: quia vtroque modo
valde precari significat. Vide Ma-
nutii interpretationem, quam heic
etiam Græuius *ὁ πρῶτον* commen-
dat. Impotentis animi est, quod
rursus Lambinum Borrichius iuni-
or exagitat, & gaudebundus nos
fodicare putat, si *criticum nostrum*
appellet. Nominaueram aliquan-
do cum Grutero & Mureto: ergo
C 3 ille

¶ (54) ¶
ille *meus* est, a quo tamen aperte in
hoc *deprecandi* verbo dissensi, & in
Manutii, Gruteri, atque Grauii
sententiam vltro & sponte concessi.
Spernunt generosæ mentes eius-
modi cauillationes, & rem ac con-
trouersiam disputant: homines ro-
dere infra ingenuitatem putant.

DICTIONE. Quantum satis est,
respondi Posterioribus Curis, qui-
bus Catonem Viterbiensis Annii,
quo Olaus utebatur, a me reiectum
esse, ægre Andreas fert, causam ex
me, cur reprobauerim, requirens,
quam vero ipse mihi inuitus aut
insciens suggestit, *quod vera fidei
addidit, ut illa simul vera crederentur.*
Vera autem sola Catonis sunt, quæ
ab antiquis scriptoribus fragmenta
conseruantur, quibus controuer-
sam *ditionem* haud inesse, mihi cer-
tum & euictum est. Si vincere in
hac causâ Andreas vult, conserua-
torem fragmenti, fabuloso Annio
maio-

maiolem, mihi ostendat, necesse habet. At grammaticum huius vocabuli usum ipse praedicto loco ex Scauro & Diomede, antiquis scriptoribus, probavi.

DIFFICILITER, FACILITER.

Posterius Andreas, producto Quintiliani exemplo, negat idiotismum Vitruvii esse. Nec vero id rigide adseveraueram, quum pag. 177. scripsi: *EST FERÉ Vitruvianus idiotismus.*

EXAUDIRE. Me non intelligit, qui nescio quid hoc loco sigillat. Nunquam negavi, *exaudire* etiam ethoren verti, sed puerilem & vulgarem opinionem notavi, qua creditur *audire* non amplius sonare, quam auribus percipere: *exaudire* demum, precibus adesse & adnuere. Scripsi enim pag. 432. apertissime: *Vtroque veteres in utraque notione inuenimus usos esse.* Non

C 4 opus

opus ergo erat, contra me *magnos viros*, vt vocat, dictionariorum, conditores, *Sturmius, Frisius, Soranus* (Basil. Fabrum) *Decimatorem* sollicitare. Sed video quid doctum virum deceperit. Non semel de hoc verbo scripseram, sed pag. 377. breuiter; iterum & copiosius pag. 432. Is de me tam sinistre censuit, priori tantum inspecto loco, alterum, festinatione forsan aut incuria, prateruetus.

FIDELIS. Nescio quid oppugnet auctor, quum *nouam & ecclesiasticam notionem* dixi, quando *fidelis* Christianum significat. *Eo sensu*, inquit, *non raro profani antiqui adhibuere, vt Christianos eo nomine appelles non inepte.* Profanis *fidelis* est, qui fidem ieruatur. Is vero non statim Christianus est, nisi adponas *Christo fidelis*, aut simile: sine adiuncto per *fidelem* Chri-

Christianum significari & per *infidelem*, alienum a Christi sacris, singularis ratio & ecclesiasticis propria est.

HACTENVS. De hoc satis dixi Posterioribus Curis. Nihil contra ea proficiunt, quæ numerose addit Appendicis auctor. Quid multa? non negavi absolute significatum temporis, sed dixi pag. 405. *ad locum POTIVS vel rem referri ab antiquis, quam ad tempus.* Qualem locum intelligam, libri nempe, carminis, epistolæ, aut similis rei partem; ibidem expositum dedi, & exemplis ac auctoritate confirmaui: *quem (locum) si quis tempus malit appellare, per nos liceat*, dixi pag. 406. Ego vero Ciceronem malo, quam sequiorum consuetudinem imitari.

ILLICITE. Quod Varronem Vlpiano, quem produxeram, Andreas

Andreas Borrichius superaddit, mihi non ingratum est. Fallitur autem, quum in vniuersum a me, credi existimat, reiecto simplici, omnia composita reiicienda. Confundit doctissimus vir τὸ κατὰ τι cum eo quod est ἀπλῶς.

IMMO. Auctoꝝ corrigendi sensum, quem vindicaueram, frustra opponit τὰς αὐγῆς. Res eadem: nomina diuersa. Fatetur ipse cap. vi idem esse ac *Quid? quod? Quin etiam.* Quis autem ignorat has correctionis siue ἰπαιορῶσεως formulas esse?

INDUCERE ANIMVM SVVM. De solo pronomine controuersia, quod negaui vsuꝝ a uo Ciceronis in hac phrasi admisisse. Contra doctissimus Andreas cap. vii ait: *Ciceroni displicuisse [pronomen huius formulæ] adhuc ignotum est.* Vtique vero notissimum est,

est, quia is ne semel quidem vsur-
pauit, neque Liuius, neque quis-
quam alius post Terentium :
quamuis *inducere animum*, & *indu-
cere in animum*, saepenumero ii-
dem dixerint, quod decem exem-
plis de Cicerone Nizolius; ego de
Liuiio & Plinio Curis posterioribus
probauit.

INTERCEDERE. Quæstio
superest de anno epistolæ Cœlii
xvi lib. viii ad Ciceronem. Legat,
relegat, quicumque non captus
præiudicio est; non alio quam
primo ciuiliis belli anno scriptam
esse deprehendet, quum Pompe-
ius cum senatu vrbe aufugisset,
Cæsar autem Roma in Hispaniam
retro abiret. Non ergo Corradus
& Manutius, & his consentientes
errant, qui de Metelli *intercessio-
ne* hoc est contradictione interpre-
tantur. Instat Borrichius pag. 141
editionis Hafniensis: *Quo tempo-
re scri-*

re scripta sit hæc Cœlii epistola, ex his
 ipsius verbis facile collegeris: NVNC
 TE CONTRA VICTOREM FA-
 CERE, QVEM DVBIIS REBVS
 LAEDERE NOLVISTI: ET AD
 HOS FVGATOS ACCEDERE, QVOS
 RESISTENTES SEQVI NOLVE-
 RIS, SVMAE STVLTITIAE EST.
 Sed bene sese res habet, & Manu-
 tius singula tam accurate interpre-
 tatus est, vt nihil dubitationis su-
 peresse possit. Non ex solis his
 verbis, sed ex tota epistola iudi-
 dicandum, quibus consulibus illa
 scripta sit: eo videlicet tempore,
 quum adhuc medius esset Cicero,
 antequam ad Pompeium profici-
 sceretur. Post Pharsalicum proelium
 non dubius Cicero erat, etiam per
 litteras ex Aegypto a Cæsare con-
 firmatus. Non igitur Cæsaris al-
 terum iter in Hispaniam, contra
 Pompeii filios; sed prius contra le-
 gatos & exercitum patris Pompeii,
 a Cœlio commemoratur. Hæc lu-
 cidif-

cidissima sunt, quæ frustra Andreas Borrichius nebulis nescio quibus infuscare conatus est.

IVBEO VT. Centenis, aut sexcentis potius ex aurea ætate exemplis vix tria ex Liuiio opponuntur, nec vltimum illius sanum satis, summo viro iudice Gronouio patre, qui lib. xxiii cap. xxi non *iussi consulerent*, sed *consulere legendum* censet, idque, vt ait, EX GENIO LIVII, hoc est, quia Liuius plerumque cum infinito verbum *inbeo* componit. Borrichius, *Explicet inquit, qui potest, cur licentius dixeris*, IVBEO VT, quam IMPERO VT, PRAECIPIO VT, ORO VT. Sed explicabo, vir eruditissime. In tali caussa exemplis & auctoritate standum est, non ratiocinio. Sufficit itaque, placuisse auctoribus, vt *inbeo* frequentissime cum infinitiuo modo enuntiarent, raro admodum cum VT, & hoc

hoc quidem fecius, quam fit,
 in *precipio*, *impero*, *oro*, quæ
ut frequentius exigunt, præ-
 fertim *oro*, *peto* & similia, qui-
 bus duro & Latinis intolera-
 do Gracismo infinitivum adieceris,
 cuius exempla ex Hygino
 & Cassiodoro, etiam de *monco*
 ex Ammiano sub finem cap. ix
 Curar. Posteriorum exhibuimus.
 Cetera non ægre infinitivum pa-
 tiuntur. v. gr. Cicero Catilin. i
 cap. xi *Nonne hunc in vincula*
duci, non ad mortem rapi impera-
bis? atque ita etiam *postulo*. Cor-
 nel. Nepos Annibale cap. xii
Prusias illud recusavit, ne id a se
fieri postularent, quod aduersus ius
hospitii esset. Quænam causa
 differentis in paribus verbis con-
 structionis est, nisi usus & con-
 suetudo Latinorum? Taciti &
 æqualium in verbo *iubeo* exem-
 pla, nec vero illa frequentiora,
lubens concessi & in *Curis* pro-
 duxi

duxi Posterioribus : etiam Liuii rarissimum quoddam adnumeravi. Vide pag. 180.

M A N E T. Quæ Borrichius carpit, hæc sunt p. 152 *Vir clarissimus significationem & usum verbi M A N E T apud antiquos imperitioribus ostendere voluit : non vero (NON AVTEM heic & alibi doctissimus litterator dicere debuit, vel Valla monente lib. II Elegant. cap. XXIV) non vero, inquit, video, quid hinc discant illi. Esse non inficior, ubi pro EXSPECTARE positum reperis : sed addit Cellarius, etiam ALIA NOTIONE adhiberi. Quæ itaque illa ? Hanc si desinisset, nescientibus consulisset melius. Omne crimen, quod obiicitur, in eo versatur, quod generatim ALIA dixerim, quam Andreas specialius explicare possit. videlicet, M A N E R E, si superesse significet,*

cet, plerumque dativum postulare: si *contingere*, accusativum, regere frequentius. Sed quid est illud *contingere*? utique, si definiisset, ex ambiguis notionibus quam velit nescientibus consulisset melius. Aut si tam accuratus definitor est, cur non definit, & causam ostendit, quid sit, quod non semper, sed *plerumque*, aut *frequentius*, & *sepius*, ut ait, hunc vel istum casum poscat: aliquando eadem significatione illum non exigat? Ego verbum *MANET* cum quarto casu *fere semper construi* pag. 101 scripsi, quum *expectare* significat: in quo sequutus sum vetustos grammaticos, Servium Maurum in *Georgic.* 1 vers. 168, Acronem, Horatii scholiographum, in lib. 1 od. xxviii vers. 33, Nonium Marcellum in *Petere*. Cetera sub *alia notione* comprehendo, ubi quæ propria est,

est, præcipuum locum habere
volui.

M V N D V S. Borrichii
exempla non obsunt mihi, qui
pag. 274 scripsi, quando huma-
num genus significat, *apud pro-*
fanos INTERDUM similia repe-
riri. Quæstio autem erat, vtrum
ad rara illa ecclesiastici frequen-
tissimo vñ suo respexerint, an
ad factæ scripturæ consuetudi-
nem stilum suum informarint;
vbi posterius dixi *proclivius ad fi-*
dem esse. Heic longe excurrit
Borrichius, vt Latinitatem eccle-
siasticam, quam a profana discer-
no, neget singularem esse. *Ec-*
clesiasticos ait diligentissime veseres
Latinos leclitasse. quis negauit?
an vero omnes etiam imitatio-
nem sibi propositam habuere?
Non vnus generis sunt, quos
ecclesia scriptores habuit, ante-
quam Latina lingua exspiraret.
Mi-

Minucius , Arnobius , Lactan-
 tius , Hieronymus , Augustinus ,
 Sulpicius Seuerus , & quidam
 alii , imitati sunt prescius , quam
 Tertullianus , Cyprianus , & in
 epistolis Paullinus Nolanus , &
 horum similes , quod non ratio-
 nibus , sed vsu & lectione co-
 gnoscendum est , quamuis nec
 illæ deesse ei possint , qui vitam
 illorum , & instituta , & mores
 apud animum proposuerit . Sed
 aliud metuit vir eruditissimus ,
 ex ecclesiastica , si distinguatur ,
 Latinitate sequi posse . *Ita ,*
inquit , ambigerentur omnia , quæ
apud ecclesiasticos occurrunt more
veterum Latinorum vsitata , modo
in scriptura sacra similia repereris .
 REPERERIS debuit ex lege
 grammaticorum dicere , quod
 typographi errorem putassem ,
 nisi etiam cap. v pag. 106 ed.
 Hafn (nouæ p. 70) ita scriptum
 inuenirem , *quæ fragmenta repe-*
rierit .

rierit. Ego vero cum antiquis
reperi in præterito, non reperii,
censeo inclinandum esse. Catul-
lus epigram. LXXX

Si iria notorum suavia repperit.

Plautus Stichus act. I scen. III
vers. 34

*Nunc repererunt ei verbo vi-
carium.*

Et Phædrus lib. III fab. XI
vers. 42

*Qui postquam tenebras dispulit
calumnia.*

Certumque fontem veritatis repperit;

*Luat, inquit, pœnas causa liber-
tus mali.*

Sed transeant hæc: ad metum,
auctori eximendum regredior,
quem ideo vanum esse iudico,
quia

quia nemo propterea verbum,
aliquod aut notionem eius sus-
spectam habuit, quod in sacra-
scriptura etiam vulgatae versio-
nis occurrat: sed quia nullus
eius, vel rarissimus, apud pro-
fanos usus fuit, ecclesiasticis au-
tem frequentissimus. Quod ve-
ro etiam pag. 160 in hoc de
*Mundo tractatu formulam pecca-
ta remittere, & significatum sacu-
li exempli loco producit, in*
quibus Olaus ecclesiae notionem,
quam intentaueram, *priscis La-
tinis non inusitatam fuisse, mul-
tis edocuerit; ad iteratas Poste-
riores Curas prouoco, unde*
clarius, quam heic repeti pos-
sunt, omnia legentibus consta-
bunt. Summa haec est: Ana-
loga in profanis, sed haec quo-
que rara haberi: ipsius phra-
seos, *peccata remittere, exem-
plum apud eosdem non reperiri,*
nec ipsam vocem *peccatum*
illis

illis frequentem admodum esse,
 quæ vero scriptoribus sacris sunt
 tritissima. Neque *seculare* (nam
 de adiectiuo disputatio præci-
 pue fuit) ex profanis quisquam
 dixit quod extra religionem aut
 ambitum sacrorum est, quem-
 admodum Hieronymus *codices*
seculares, item *disciplinas secula-*
res; Sidonius Apollinaris *scien-*
tiam secularem, Cassiodorus *lit-*
teras seculares, id est profanas,
 a paganis & gentilibus auctori-
 bus profectas. Singulorum
 loca Curis Posterioribus indi-
 caui.

Sic operosus Borrichius cir-
 ca primam *Mundi*, quam ec-
 clesia dat, significationem, le-
 uiozem quidem illam & profa-
 no vsui non penitus repugnan-
 tem; oblitus est, vel ex indu-
 stria prætermisit alteram, quam
 præcipuam duxi & ecclesie vere
 pro-

propriam ac singularem. Quod enim magnopere miror, nihil quidquam ad illa respondit, quæ pag. 275 proposueram: *Quando vox Mundi impiorum colluicem, improbitatem atque vitia significat, videtur ecclesie propriam notionem induisse. Neque tertiam, quam memoravi, vanitatis, vilitatis, & pompe voluptuose notionem attingit.*

ENVNTIVM, PRÆ-
ENVNTIVM, an substantiva
sint, quærebatur. Olai, qui-
bus id probatum ibat, dixi non
certissima documenta esse, præ-
ter Sedulianum ex sequiori æta-
te, ubi adiunctum *grandia* ma-
gis videatur per se stanti, quam
alii adiuncto nomini adponi. Id
quod Andreas Borrichius ad Plin-
nii & Senecæ exempla transfert,
quibus *hæc, quedam*, pronomi-
na adiectiva, euincant, *prænun-*
tia,

tia, quibus adposita sint, substantiuam naturam habere. Non, autem vbique par ratio pronomini atque nominis est. Dicamus *hec nefanda, quadam absurda*: an ergo *nefandum, absurdum* substantiua erunt? In Tibulli & Catulli verbis ad MSS. Olai, patroni sui, prouocat: nec vero exinde de Tibullo mihi persuadere potest. Quid obstat enim, quo minus, inciso vno facto, ita legamus:

Di meliora monent, ventura nuntia sortis.

Vera monent Tuscis exta probata notis.

Sic non magis *nuntia* substantiuum erit, quam *meliora*, quam *vera* sunt, quæ nemo ex censu adiectiuorum eiecerit, licet, heic absolute & tanquam substantiua significant. Si de Catullo,

tullo, qui *noua nuntia* in Aty
 vers. 76 dixisse fertur, quod
 secus videtur magnis viris Scali-
 gero atque Mureto; si, inquam,
 omnino concedendum de Catullo
 esset, cederem non tam propter
 Borrichianum codicem, quem
 nec vidi, nec quanti pretii sit,
 audiui; quam auctoritate maxi-
 mi viri Isaaci Vossii inductus,
 haud dubie membranis instru-
 ctissimi, qui pariter etiam Var-
 ronem locum lib. v de Lat. ling.
 cap. ix (*de caelo nuntium erit*)
 adfert, in quo Andreas etiam
 triumphat; & Lucretii alium lib.
 iv vers. 708 ex *vetustis*, ut ait,
exemplaribus emendatum super-
addit.

*Nec calida ad censum decurrunt
 nuntia rerum,*

vbi aliis libris *ad sensus* occurrit
 legitur, ut *nuntia ad nomen*
 plaga

plaga superioris versus referatur.
 Vide Commentaria eius ad Ca-
 tullum Atyn pag. 173. Ego vero se-
 quutus fui Scaligerum, Muretum,
 & alios clarissimos viros, & No-
 nium ex veteribus, quorum non
 contemnendum argumentum est,
 probatissimos auctores Ciceronem,
 Virgilium, Horatium, Ovidium,
 Liuium (quem vindicaui ab Olao
 ex mala editionis libro allega-
 tum) & horum æquales hoc vo-
 cabulo nunquam neutrali forma
 vsos esse: Tibulli vero, Catul-
 li, & Lucretii loca varietate le-
 ctionis vexari, ideoque hoc vo-
 cabulum neutrius generis poste-
 rioribus Curis pag. 195 molliori
 verbo *dubium* appellauit.

PESTIS. Dixeram pag.
 337, *non facile in prosa exempla*
inueniri, vbi pestis fit idem ac
pestilenta: omnia non negaui.
 Borrichius ex Columella quæ-
 dam

dam adfert, quæ meo NON FACILE non officiunt. Sufficit sententiæ meæ, plerumque tralata significatione vsurpari. Volui enim adolescentes a promiscuo in profa vsu auocare.

PIISSIMVS. Qui scripseram, aurea Latinæ linguæ atate insolens hoc vocabulum fuisse, magno me patrono M. Tullio Cicerone tueor. Hunc Andreas Borrichius suspectum habet, quasi odio inflammatus in Antonio reprehenderit, quæ reprehendenda minime fuissent. *Quis, inquit, paullo versatior ignorare potest, in Philippicis ita de Latinis vocibus iudicauisse Ciceronem, ut ostendat se acriori in Antonium odio, & vehementiori insectandi feruore sibi sæpius excidisse: dum aduersario voces male Latinas & inusitatas obiecerit, quas ipsimet alibi non improbatas, & eiusdem cui scripto-*

scriptoribus usitatas fuisse constat.
 Vellem, doctissimus vir nominatum recitasset, quænam sint illa Latinæ linguæ vocabula, quæ præter hoc dubium in Antonio perperam M. Tullius reprehendisset. Quis de sapientissimo Cicerone credet, verbum *piissimus* negauisse Latinum esse, quod sciret multorum usu teri, nec quidquam insolentiæ habere? Ipsa Ciceronis verba si attulero, omnis mala suspicio, quam de tanto viro Borrichius habet, corruet. Antonius M. Lepidum *piissimum hominem* appella-
 uerat. Cicero Philippica x i i i cap. x i x Antonio respondet: *tu porro ne pios quidem, sed piissimos quæris, & quod verbum omnino nullum in lingua Latina est, id propter tuam diuinam pietatem nouum inducis.* Reponit Andreas Borrichius, non esse, quod statim in recentius eum reiicias, de
 D 2 quo

quo hic vel ille dubitauerit : modo
 constet optimo Latinitatis aeo , non
 ignotum fuisse. At nec barbarismi
 optimo aeo ignoti erant , non
 autem probati , neque recepti
 in vsum ; nec suam tantum Ci-
 cero opinionem , vel huius aut
 illius proponit , sed *verbum*
omnino nullum in Latina lingua
esse , quo Antonius vsus fuerat,
 utique ex plurimorum consensu
 dicit , quia publice dixit , aut di-
 cere voluit , hoc est omnibus au-
 dientibus. Sed exemplo vrget
 Borrichius , quia *nouissimus* Varro
 nouam sua memoria *vocem*
 fuisse testetur , qua vero opti-
 mus quisque non abstinuerit.
 Verum dispar ratio superlatiui
nouissimus est. Varro enim lib.
 v de Lat. lingua cap. vii non
 se & aequales , sed *sua memoria*
senes aliquot , *nimum nouum ver-*
bum esset , *vitauisse* ait. Longe
 repeti *memoria illorum senum* ,
 vsque

vsque a pueritia Varronis, potest, inter quam & supremam Ciceronis ætatem, qua inuectiuas in Antonium scripsit, quantum interuallum temporis est? Sed hæc de aurea ætate disputantur: de argentea nunquam dubitatum fuit, *piissimus* receptum in ea & probum vocabulum fuisse, licet non fuerit frequentissimum.

POSITO. Cum pronome, aut nomine, *quo posito, hac re posita* &c. res transacta fuit: simplex *posito*, item *posito quod*, adhuc dubitatur. Borrichius contra, etiam participium sexto casu sæpe absolute poni ait. Non nego, subaudi-ri interdum pronomen: sed ubi exemplum in *posito?* hoc enim desidero, non analogum aliud. Detritum itaque nostratum morem reprehendi & vulgarem formulam;

mulam, sine qua olim Latinitas optime constare & latissime florere potuit.

PRO ET CONTRA.

Loquutus sum de *Pro & contra* absolutis, & sine casu, vt hodie fit vulgari sermone: Borrichius maior in *Analectis* pag. 60 exempla dedit cum casu adiuncto. v. g. Senecæ III de *Ira* cap. xxviii *utrum contra nos faciat, an pro se*. Nulla itaque inter nos repugnantia fuit. Andreas autem cap. x ed. *Hastii* pag. 186 *Cellarius non aduertit, quo tendat celeberrimis Borrichius*. Immo ille non animaduertit in *Analectis*, quo ego *Curis Posterioribus* tendebam. Post addidit *Olaus* exempla, vbi *contra* ponatur absolute. *Dic aliquid contra*, Senecæ eodem libro, cap. viii; *Nil contra conor*, *Iuuenal. Sat. vi*, 643. Sed nec hoc *contra meam* est

est sententiam. Non ignoro,
contra sæpe absolute poni, quum
 aduerbium fit; vbi vero *Pro* abso-
 lute & sine casu positum inueni-
 tur? Nec ego de separatis, sed
 de coniuncta formula *pro & con-*
tra quaestionem institueram,

Q V O A D cum Accusatiuo.
 Duobus exemplis, quæ Borrichius
 adfert, nondum moueor, vt con-
 tra analogiam, contra omnium
 reliquorum auctorum, etiam
 ipsorum, quos aduocat, in ce-
 teris libris auctoritatem, credam
 aduerbium *quoad*, tanquam præ-
 positionem, casum regere, at-
 que cum quarto olim compo-
 situm fuisse. Varro lib. vii de
 Lat. lingua cap. xxiii in Go-
 thofrediano libro *quod* habet sine
ad: Scaligeri editione *quoad* ex-
 pressum est. Vix autem dubium
 superesse potest, quin plenius le-
 gendum sit *quod ad*, suppresso

verbo attinet, vt Coelius Ciceroni
 scripsit lib. viii epist. i sect. 8
*Quod ad Caesarem, crebri & non bel-
 li de eo rumores.* Sic MSS. & edi-
 ti vetustissimi: vt sine causa,
 recentiores quidam *to* attinet ad-
 posuerint. Nam etiam Lege III
 Digest. de adquir. rer. dominio,
 Caius iurisconsultus dixit: *Nec
 interest, quod ad feras bestias & vo-
 lucres, virum in suo fundo quisque
 capiat, an in alieno; vbi attinet
 subauditur.* Vide & Io. Vorstii
 de suspecta Latinitate cap. xxxii.
 Alterum exemplum, quod Borri-
 chius obiecit, Liuii est, qui lib.
 XLII cap. vi scripsit, *regem excu-
 sauit, quod stipendium serius quo-
 ad diem praestaret.* Durum, &
 alienum a genio Liuiano, qui
 mihi scripsisse videtur, *serius quam
 ad diem, intellige statutum & de-
 finitum.* Facile nota scriptum
 quã ad in quoad deprauari po-
 tuit.

RE-

REMEDIARE. Carpit
 me Andreas Borrichius, quod
 verbum hoc *sæpe* a Scribonio in
præfatione positum dixerim, vbi
 semel tantum inueniatur. Sed
 aliquid passus est vir doctissimus,
 quod solent homines, nam in-
 cisum meum seu comma post
sæpe non aduertit, quod illud *sæ-*
pe non ad solam præfationem, sed
 ad illam & *compositiones* simul re-
 strictum volueram. Inspice qua-
 so Curas meas editionis secun-
 dæ, quam versauit Andreas, quum
 hæc scriberet, pag. 88, vnde co-
 gnosces, ex multis quædam
 exempla vt proferrem, proposi-
 tum mihi fuisse. Lege vero no-
 stra sic: *sæpe*, in *Præfat. & Com-*
pos. cap. 1 vbi *cap.* excidit. Eius
 autem sect. x legitur *remediat.*
 Præterea cap. xxix & xli sæ-
 pius. Quod deinde de *idiotismo*
 Borrichius philosophatur, pla-
 ne incongruens, & ab instituto

alienum est, quum satis in Prolegomenis Curarum Posteriorum exposuerim, & ipsa origo vocabuli ostendat, quid *idiotismo* significari velim, & alii mecum significent.

SANGVINEM EFFUNDERE. Notum est, me contra vulgarem & frequentissimum huius formulæ usum, haud dubie ex Genes. ix comm. v. i enatum, scripsisse: simul ostendi, aliud Ciceroni, Curtio, & ceteris hac dictione, quam simplicem eadem, significari. Esto ergo, Senecam forte semel atque iterum de vnius eade idem dixisse: tamen frequentissimus huius formæ usus, qui hodie obtinet, per id neque corroboratur, neque satis excusatur. Tragico plus licet, cuius priora exempla sunt, quæ Borrichius profert, nec ve-

ro' plura, quam duo: id quod
autem ex lib. vi de Benefic. cap.
xxx allegatur, non contra no-
stram sententiam est, quum
strages significetur, nec *fusuri*
suum sanguinem simpliciter dicun-
tur, sed cum *multorum sanguine*,
seu postquam *multorum sanguinem*
hauserunt, *fusuri nouissime suum*. Iu-
uat heic Seneca sententiam meam,
non oppugnat.

VEL, SIVE. Super-
uacua sunt, quæ sub finem ab
Andrea Borrichio contra me
verbose disputantur. Dixeram
cum clarissimo viro Io. Vorstio,
si eiusdem rei diuersa vocabula
sint disiungenda, elegantius *Si-*
ue, quam *Vel*, adhiberi. Sed
ideo, inquit, *perpetuum esse du-*
bio. Neque ego id perpetuum
dixi, vt potius disparile exem-
plum ex Ciceronis Officiis ipse-
met ostenderim, *pace vel Qui-*
rini

rini vel Romuli, lib. III cap. x.
 Quid opus ergo fuit, ex Varro-
 ne, Pediano, & Tacito adferre,
 quos alios vsus particula *Sine*
 habeat, qui plane extra qua-
 sitionem sunt, de qua hoc loco
 differendum erat?

Tandem subiungo, quod
 supra, ubi ordo postulabat, ne-
 scio quo casu, pratermissum
 fuit. Id

AEGRITVDINIS voca-
 bulum est, de quo scripseram,
 Ciceroni morbum animi, non
 corporis, significare: sequenti
 saeculo id discrimen fere negle-
 ctum fuisse: postremo autem
 a quo Hieronymum eiusdem fuis-
 se memorem. Singula suis do-
 cumentis illustravi, & primum
 quidem ipsius Ciceronis verbis,
 III Tusculan. cap. x, *ut agrotati-
 o in corpore, sic agritudinem in
 ani-*

animo esse. Alterum Columellæ,
 Plinii, & Taciti exemplis proba-
 ui, qui *agritudinis* vocem de cor-
 poris etiam morbo vsurparunt.
 Hieronymi verba, Ciceronianis
 persimilia, ex epistola xxxvii
 protuleram. His Andreas op-
 ponit, quod argenteo Latinita-
 tis ævo Seneca, Curtius, Vale-
 rius Maximus, Tacitus, Iusti-
 nus, & auctor epitomes Liui-
 næ, *agritudinem* quoque *animi*
 dixerint. Ego vero nunquam
 in animum induxeram, hoc,
 quod adfert ille, negatum ire,
 sed tantummodo scripsi, *FERE*
neglectam illo ævo *distinctionem*
 fuisse. quia promiscue illius æta-
 tis scriptores *agritudinem* non mi-
 nus de corpore, quam de ani-
 mo posuerint, quod secus Cice-
 ronis sæculo habuisse, ipsius
 suffragio, quod nemo in dubi-
 um vocabit, ostendebam. Op-
 posuit ergo Borrichius, quod
 meæ

meæ sententiæ contrarium non
 erat, cui tum demum deroga-
 bit vir doctissimus, si contra
 exempla mea probauerit, argen-
 tea ætate Latinitatis, vocabu-
 lum *ægritudinis* de corporis in-
 firmitate adhibitum nunquam
 fuisse. Quod enim defende-
 ram, is negare argumentis de-
 bet, qui mihi vult contradi-
 cere.

Hæc Hafniensi Appendici
 ad Curas meas visum fuit re-
 pendere, idque serius, quam
 prouocatio postulabat; vtique
 autem citius, quam animi mei
 tranquillitas fert, a contentio-
 nibus semper aliena, per quam
 etiam nunc stetisset, vt ab
 hisce scribendis abstinerem, ni-
 si verendum mihi fuisset, ne
 nouo titulo res non noua in
 fraudem existimationis meæ,
 tanquam caussa cecidisset, igna-
 ris

ris certationis nostræ impone-
 retur. Finem simul contro-
 uersæ facio, quæ cum Olao
 Borrichio, omni laude dignis-
 simo viro, præter opinionem,
 meam olim subnata mihi fue-
 rat, sed ita semper inter nos
 agitata, vt summo studio illi-
 us ego dignitati consulerem: ille
 quoque honorifice sentiret
 de me, ac modeste etiam scri-
 beret. Qui quum a quadriennio
 mortalitati ereptus, in
 meliores sedes ad beatorum re-
 ligionem migrauerit, nolo de-
 inceps quietem illius, repetitis
 controuersis, turbare, sicut
 ipse, antequam excederet,
 quod Andreas adseuerat, no-
 luit amicitiam nostram iisdem
 repetitionibus fatigare. Quin
 potius de illo ita sentio & per-
 petuo sentiam, vt decet de
 summi ingenii atque doctrinæ
 viro omnes litterarum aestima-
 tores

¶ (98) ¶

tores sentire : nec aliter de
iuniore , Andrea Borrichio quam
bene ac honeste spero. Ut
autem omnibus pateat , quo
animo in me Olaus , *o mande-
ms* , fuerit , litteras illius , inter
hæc ipsa certamina datas , heic
adiungo , quæ , quidquid de
hoc viro & illius amicitia præ-
dicauit , luculentissime compro-
babunt.

¶ (0) ¶

EPI-

EPISTOLA
 OLAI BORRICHII
 AD
 CHRISTOPHORVM
 CELLARIVM.

ITa est, vir clarissime, quem-
 admodum probe aduertis:
 istuc duntaxat eunt labores
 mei, vt publico inserviat, non
 vt ledatur mortalium quis-
 quam; multo minus, vt offen-
 datur modestissimus calamus
 tuus, quem sterilibus in Latio
 herbis, & lolio frequenter in
 eru-

eruditorum scripta se ingerentis,
 eradicandis natum esse latus com-
 perio. Humaniora appellan-
 tur haec studia nostra, quae in-
 ter alia seueriora colimus; &
 humanitatis officia deposcunt: a
 quibus nimium quantum abeunt
 ostentatores quidam, qui leuis-
 simis de causis ita in scriptis
 suis ampullantur, ac si cum Ca-
 rolo Martello aduersus Mau-
 ros ingentem sibi pugnando
 gloriam peperissent. Ego vero,
 qui iamdiu experior, non
 unius esse hominis, omnia
 peruidere; tantum mihi neu-
 tiquam sumo, ut contem-
 dam mea, praesertim in argu-
 mento tam lubrico, extra
 omnem erroris aleam semper
 posita esse, cum Homerus sub-
 inde dormitauerit, quid ni
 ego,

ego ; quem saepe agrorum
 quiritatio ne quidem patitur
 dormire. Interea , vir claris-
 sime , humanitatis tuae porro erit ,
 de conatibus meis humaniter ,
 quod facis , censere , atque
 prorsus in animum inducere ,
 nihil mihi ingeniosissimis tuis
 scriptis , nihil animo tuo tam
 amice de studiis meis arbi-
 tranti , gratius acceptiusque
 posse contingere. Perge , o
 optime , nomen tuum illu-
 stribus scriptis aeternitati com-
 mendare . Et crede , me
 (qui vix posthac propter gra-
 uiora negotia istaec sacra phi-
 lologica amplius attingam ,
 nisi forsau Liuii opera , in
 Gallis , vt audio , cum
 supplementis omnibus edenda ,
 iterum sitim excitauerint)
 nun-


¶ (102) ¶


nunquam commissurum, ut
te candoris, & beneuoli
tui pectoris aduersus me,
vnam poeniteat. Vale.

Hafnia XI Augusti anno

CIO IDC LXXXII.







Cass. Scipijus scripsit. B. v. in defensione re-
 v. v. et Had. v. v. Scipij. vir acerrimi inge-
 ni, is in 4 abate, aurea, abate, aenea et ferrea.
 dispersit. L. L. Aenea a bellico Pupico secundo au-
 gusti, et ad extremos usq. octav. Augusti anno
 fuit. Argentea deinde extendit ad interitu
 Veronis: hinc Aenea ad Hadriani excessum:
 tandem ferrea ad Theodosii minoris tempora:
 huius scriptor aurea et abate iuxta Scipijum
 argentea et abate a. Curiy, Cornelly, Celty, Dyctis
 Creteny: Phocory, Seneca etc. Columell. Aenea
 et abate Tacit, Flor, Livitiliay, Plinij ubery
 boetory, ferrea Selly, Apuley, Vegety, Forti-
 ny etc. (Corni 3 s. p. h. i. i.) Tametsi haec oia eruditi
 et magno iudicio a Scipio praeiudicata sunt: ta-
 men in multis ab eo dissentit etc. Quoniam in oib.

A
Alloquium, sermancipii.
Ad invicem, invicem.
Apparentia, species.

Canonicari, sanctorum in coelo numero
Compassarius, rei inquisitor, ad tibi.
Confessionarius, a confessionibus alicuius.

755026

AB 155026

ULB Halle

002 811 367

3



5b

VD 77



ap.
ri
no
na
rft
mo
pe
am
o d
us
sup
in
tres
R
era
q
itus
Ic
z z
dam
c.
ccid
cius
lib.
t, fi
tore
rtici
ius,



B.I.G.

Farbkarte #13

Centimetres

Black
3/Color
White
Magenta
Red
Yellow
Green
Cyan
Blue

CHRISTOPHORI
CELLARII
DISCVSSIO
PPENDICIS
DANICAE

ad
Curas suas Posteriores,

nuper nouo titulo

Observationum singu-
larium circa Latinam lin-
guam prænotatæ;

alterum auctior edita.



J E N A E

Sumtu BIELCKIANO

MDCCLXXIII